



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 85. Et ingressus intro sedebat cum ministris. v. 58.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Video Domine, & pro dolor nimis expertus sum quantum mali eveniat ex mala Societate, ideo rogo te, o custos hominum, conserva me à mala societate, dum hic dego, & da ut bonis & sanctis sodalitiis, ex quibus melior evadere possim, semper inhæream; hæc mihi se offerant, in hæc me inducere imo compellere dignare, ut declinem à malo & faciam bonum.

§. 85. *Et ingressus intro sedebat cum ministris. v. 58.*

Parum fuisset periculi, si Petrus expectasset foris in atrio, at intrando interiora & ipsam domum & aulam Caiphæ, & quidem cedendo cum ministris infimæ plebis & sortis, qui non nisi infima & scurrilia, cachinationes & maledicta de Christo proferebant eo facto plane se Petrus prodidit, nam dum talibus se immiscuit paulatim infirmata est in ipso virtus & gratia Dei, & cecidit gravius in peccata diversa mentiendo, falsum iurando, Deum & Magistrum negando; nec potuit ad cor redire, nisi relinqueret hanc malam & perverfam societatem cum qua sedebat & quiescebat.

Plentissime Jesu, o quoties ego in malorum hominum non solum societate sedi & conquevi, sed etiam verbis ludicris & actibus eorum malis fui oblectatus, & ideo magis sedi cum ipsis & quievi, idcirco doleo nunc quam maximè, & oro ut des gratiam; si fors incidero iterum in malam societatem, posthac nunquam in ea quiescam, sed cito refugiam ad te convertendo me ab illâ ad te justitiæ solem.

§. 86. *Ut videret finem. v. 58.*

Finis & intentio Petri assidentis cum ministris profanis intro, non erat malus, volebat enim manere cum Christo iuxta promissionem suam, sed una videtur curiosus fuisse, humana enim curiositate volebat scire quid iudicaret de domino Pontifex, utrum eum neci addiceret vel flagellis casum dimitteret, de qua re iâ ante melius ab ipso Domino sæpe fuerat instructus, ita ut credendo, videndi non habuerit necessitatem.

OMi Jesu dulcissime quam sedulo, quâ devote, quandoque te vel quaesivi in juventutis primâ devotione & fervore, vel saltem te quaerere & sequi debui, & o quoties & quam cito te deserui in peccata prolabendo ad creaturæ levis vel perverfæ vocem, ne eam offenderem te quasi negavi & propositum non servavi; heu mala societas! quid feci? sedi; heu nimium cum malis & perverfis hominibus quid tandem remediî post tot tantaque mala & peccata? cum Petro flere amare, ut bene ergo & salubriter defleam peccata mea respice ne obsecro misericordissime Deus, oculo misericordiæ tuæ sicut Petrum respexisti ut gemam, doleam, detestetur omni-